

DOMINICA TRINITATIS.

EVANGELIUM, MATTH. XXVIII.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

CONCIONES.

- I. *Mysterium SS. Trinitatis ostenditur.*
- II. *Professio SS. Trinitatis Christianis commendatur.*
- III. *Deum esse ostenditur, eumque unum.*
- IV. *De attributis Dei secundum se, perfectione, incomprehensibilitate, immensitate, æternitate.*
- V. *Quatuor attributa Dei quæ respiciunt creaturas : potentia, sapientia, misericordia, justitia.*
- VI. *Probatur existentia Christi realis in eucharistia.*
- VII. *Causæ cur in solemnitate corporis Christi, solemniori processione circumferatur eucharistia.*
- VIII. *Qua ratione Christus sit semper cum Ecclesia sua.*

CONCIO I.

MYSTERIUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS OSTENDITUR.

- I. Ex veteri testamento. — II. Ex novo testamento.
- III. Ex ratione. — IV. Ex miraculis.

THEMA.

Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.
Rom. XI.

Finxerunt olim poetæ, gigantes ab irata tellure procreatos in deorum perniciem, ut nimirum bellum diis inferrent, Jovemque cœli possessione dejicerent ; sed temere et frustra, nam a Jove contriti et fulmine extincti sunt. Fuere ejusmodi gigantes in Ecclesia hæretici, qui ipsam SS. Trinitatem cœlo dejicere machinati sunt. Imprimis Ariani et Macedoniani, qui trium Personarum consubstantialitatem impugnabant, adeoque tres ponebant Deos : deinde, Sabelliani et Samosateniani, qui pluralitatem Personarum divinarum negabant. His nostro sæculo accedunt, quos vocamus Trinitarios, passim per Poloniam, Hungariam, Transylvaniam sparsos, quorum alii, duce Michaeli Serveto Genevæ combusto, Sabellianum ; alii, duce Valentino Gentile Bernæ

- IX. *Qua ratione Christus sit cum servis suis justis.*
- X. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARI.

- I. *Summe veneranda, et crebro invocanda SS. Trinitas.*
- II. *Omnia nostra operata in nomine SS. Trinitatis salubriter peragenda.*
- III. *Quenam in SS. Trinitate Christiano imitanda.*
- IV. *Summa et universalis Christi potestas quid a nobis requirat.*
- V. *Quid agendum ut Christus sit nobiscum.*

capite plexo, Arium sequuntur. Quibus adnumerari potest Lutherus, quia Trinitatis vocem exosus e litanis Germanicis submovit, expuncta illa precandi formula, *Sancta Trinitas, miserere nobis*. Contra hos ergo ostendemus hoc mysterium.

I. Ostenditur ex veteri testamento ; quamquam obscure et in ænigmate, nec nisi sanctoribus et illuminatoribus revelatum erat hoc mysterium, uti prophetis et patriarchis, ne videlicet Judæi ad idola propensi, plures esse Deos suspicarentur. Primo, initium libri Genesis insinuat hoc mysterium, cum dicitur : *In principio creavit Deus cœlum et terram : et Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Per principium enim S. Augustinus, Ambrosius et Basilius intelligunt Filium, qui se vocavit *Principium*, Job VIII. et per prophetam, in capite libri scriptum esse de se dixit, Ps. XXXIX.

Secundo, cum ibidem subditur : *Creavit Deus*, Hebraice *bara Elohim, creavit Dii*. In singulari enim Deus dicitur *Eloah*. Indicatur ergo ibi pluralitas Personarum in verbo *Elohim* : et unitas essentialis in verbo *creavit*.

Tertio, cum eodem capite dicitur : *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*.

Alloquitur enim his verbis Deus Pater Filium suum et Spiritum sanctum quasi collegas suos ejusdem secum naturæ, potentie et operationis. Pluralitas ergo Personarum colligitur ex verbo *faciemus*, unitas vero essentialis, cum dicitur *ad imaginem et similitudinem nostram*, non ad imagines.

Quarto, innuitur in primis tribus justis hominibus, Adamo, Eva, Abele. Adam enim a nullo prognatus est homine, Eva ex Adamo facta est, Abel ab utroque genitus. Sic Deus Pater a nullo procedit, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque.

Quinto, Gen. XVIII. apparuerunt Abraham tres angeli, quos tamen ille velut unum tantum, numero singulari allocutus est et adoravit ; unde Ecclesia cantat : *Très vidit et unum adoravit : ostensa igitur ibi Trinitas Personarum sub essentiali unitate*.

Sexto, Exod. III. et deinceps vocavit se Deus, *Deum Abraham, Deum Isaac, et Deum Jacob*, ubi non obscure significatur *Trias in monade*, ut inquit S. Basilius. Nomen enim Deus ter repetitum significat unitatem essentialis in tribus Personis, Abraham representat Deum Patrem, Isaac Filium, Jacob Spiritum sanctum qui ex Patre et Filio procedit.

Septimo, Exod. VI. prodidit Deus Moysi nomen suum Jehova quadrilaterum, in quo mysterium Trinitatis pulchre continetur. Prima enim littera *iod*, quæ est index et principium numeri denarii, significat primam Personam seu Patrem : secunda *he* significat essentialiam seu substantialiam, et representat Filium, qui est Patri consubstantialis, et per quem sunt omnia : tertia *var* significat copulam seu nexum, et denotat Spiritum sanctum, qui est nexus, unio et amor Patris et Filii : ultima rursus *he*, ut indicetur Filii cujus ipsa index est, duplex natura, divina et humana.

Octavo, Deut. VI. juxta Hebr. textum dicit Moyses : *Audi Israel : Deus, Deus noster, Deus unus est* : et similiter David, Psal. LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*. Ubi Trinitas Personarum divinarum haud dubie innuitur : et pulchre media Persona, seu Filius, vocatur Deus noster, eo quod nostram assumpsit carnem, nobisque natus et datus sit Emmanuel.

Nono, Isa. VI. clamant Seraphim : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercitum* : quod veteres rabini sic exponunt : *Sanctus hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus*, teste Galatino, l. II. cap. 1.

II. Ostenditur et probatur clarius ex novo testamento, primo, Joan. XV. ait Dominus : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, etc.* Ubi

manifeste ostenditur Trinitas Personarum in Deo, Pater, Filius, et Spiritus sanctus ab utroque procedens : item Joan. XIV. *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis*.

Secundo, clarius adhuc in hoc evangelio : *Euntes, inquit Dominus, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Habemus hic Trinitatem Personarum, et unitatem essentialis, cum ait *in nomine*, et non *in nominibus*.

Tertio, in hodierna etiam epistola, quando apostolus ad Rom. XI. ait : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria et honor in sæcula, mysterium Trinitatis declaratur, uti vel ipse dæmon agnovit, quemadmodum alias dixi. Præpositio ex significat Patrem, quia ex ipso velut primo principio omnia : per denotat Filium, per quem facta sunt omnia : in Spiritum sanctum, in quem Pater et Filius quasi terminantur, et in quo conquiescunt. Unitas essentialis indicatur, cum dicitur : Ipsi gloria, etc.*

Quarto, 1. Joan. V. dicitur : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus ; et hi tres unum sunt*.

Quinto, in baptismo Christi ostensum est hoc mysterium. Ibi enim Patris vox de cœlo intonuit, ibi Filius baptizatus est, ibi Spiritus sanctus in columbæ specie super ipsum apparuit. Similiter in transfiguratione Christi vox Patris audiebatur, Filius transfigurabatur, Spiritus sanctus (ut aliqui volunt) in nube adfuit.

III. Ostenditur (supposito fine) ex ipsa ratione. Nam certum est Deum continere in se omnes creaturarum perfectiones, multo eminentiori modo quam sint in ipsis. Duplices autem sunt creaturæ corruptibiles et incorruptibiles. Hæc quidem non intereunt, sed idcirco non generant, nec enim indigent hac perfectione, fecunditatis nimirum : illæ vero intereunt, sed habent perfectionem fecunditatis ut possint seipsas communicare et generare sibi simile, quia illa indigent, ad speciei conservationem. Duplex ergo est perfectio in creaturis, incorruptibilitas in spiritualibus, fecunditas in corruptibilibus : utraque ergo in Deo inveniri debet. Hinc enim Isa. ult. dicit Dominus : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ? Et qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero ? Est autem hæc generatio in Deo non corporea, quomodo aliquis intelligere illud posset : Ex utero ante Luciferum genui te ; nec fit per operationem transeuntem (sic enim productus, idem cum producente, Deus non esset, sed ab eo distinctus) sed fit per immanentem, quales sunt operationes intellectus et voluntatis, quorum termini predicti in ipsis manent, var.*

bum mentis in intellectu, amor in voluntate. Cum ergo duæ tantum existant tales processiones, totidem etiam existunt productiones Personarum, una per intellectum, nempe generatio, per quam Pater producit Verbum seu Filium; altera per voluntatem, nempe spiratio communis Patri et Filio, per quam simul producunt Spiritum sanctum. Ad eum scilicet modum, quo intellectus noster, cum quid actu intelligit, imaginem rei intellectæ concipit et in se efformat, quæ a theologis *verbum mentis* appellatur: uti cum de amico absente cogito, ideam illius in mente mea effingo, etc. similiter voluntas nostra cum quid amat, producit in se amorem rei amatæ, et inclinationem erga illam. Hæc tamen est differentia inter has nostras et illas Dei operationes, quod verbum mentis in nobis sit tantum accidens, neque idem fit cum intellectu, neque intelligentis filius, cum sit alterius naturæ: similiter et amor fit solum accidens, nec idem cum voluntate; quod inde fit, quia vis generativa harum potentiarum in nobis creata et limitata est. In Deo autem, in quo vis generativa infinita et illimitata est, nec ullum accidens esse potest, termini producti, substantiæ sunt, non accidentia, et ejusdem cum producente essentiæ et naturæ. Cæterum Dei Verbum, quia ex vi suæ processionis, quatenus talis est, nimirum per intellectum, procedit ut simile in natura suo principio; ideo solum ipsum dici debet genitum, seu Filius: Spiritus sanctus autem, licet ex vi processionis suæ, qua divina est, procedat similis suo principio (quid enim in Deo est, et ad intra a Deo, Deus esse debet) quia tamen ex vi processionis suæ, qua talis est, nimirum per voluntatem, non procedit ut similis suo principio, ideo non appellatur nec appellari debet genitus aut Filius, sed procedens tantum, uti docet symbolum Athanasii. Hæc enim est differentia operationis quæ fit per intellectum, et ejus quæ per voluntatem; quod intellectus intendit, et rei intellectæ format ideam seu imaginem: voluntas autem non gignit in se rei amatæ similitudinem, sed tantum elicit inclinationem ad rem amatam, et rapitur quodammodo extra ad illam: sicut, v. g. Eva licet ex Adam sit formata, non tamen dicitur ejus filia, quia non est ex eo facta, per viam generationis. Hinc etiam Filius solus dicitur imago Patris, non item Spiritus sanctus; quia ad rationem imaginis non sufficit, quod sit alteri rei similis: sed quod fiat vel facta sit ad alterius rei similitudinem. Quare ovum licet ovo simile sit, non tamon est ejus imago: quia ad illius expressionem non est factum: contra homo est imago Dei, licet imperfecta, et icon, imago prototypi; quia ad ejus similitudinem

facta sunt. Licet ergo Spiritus sanctus Patri et Filio per omnia similis sit in natura, eorum tamen imago non est, quia ex vi suæ processionis, qua talis est, per voluntatem scilicet, ut dixi, non procedit ut similis suo principio, dum igitur Deus Pater ab æterno seipsum intuetur et contempletur atque comprehendit, hoc ipso gignit ab æterno coæquale et coævum sibi Verbum seu Filium. Et dum Pater et Filius mutuo se intuentur, illico etiam ab æterno mutuo se amant infinito modo, et ita simul spirant seu producunt Spiritum sanctum, sibi similiter coæternum. Tametsi vero inter Personas istas prioritas aliqua poni debet, ea tamen non est durationis, aut dignitatis, aut perfectionis, aut causalitatis, quomodo causa secundum subsistendi consequentiam prior est suo effectu, sed tantum originis, secundum quam una Persona est ab alia.

IV. Ostenditur ex miraculis. Primum refert Gregorius Turonensis, lib. 1. de mirac. c. XIII. et Sigebertus, in chron. ad annum Domini 453. Quo tempore Ariana hæresis, quæ tres Personas negabat unum esse Deum, orbem divexabat, et Genserius Hunnorum rex Arianus civitatem Vasatensem, Gallicæ Gazas, obsidebat, sacerdos quidam dum in templo præsentem populo missarum solemniam pro liberatione populi sui celebraret, aspiciens sursum vidit super altare, quasi de camera templi cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate, candore crystallum vincentes. Cumque omnes cum admiratione et stupore vehementi intenderent easque nullus auderet attingere, Petrus quidam presbyter, exhibita argentea patena, guttus colligere nititur, quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam statim in se conjunctæ, quasi unam gemmam pulcherrimam effecerunt, atque ita ostenderunt SS. Trinitatem in una essentia esse conjunctam. Quæ gemma cum postea in crucem affabre factam, et gemmis aliis adornatam statueretur, renuit harum consortium, velut iis longe excellentior: cæteræ enim gemmæ de cruce protinus ceciderunt.

Alterum refert Boetius Eugubinus, l. XV. et chronica S. Francischi, lib. IV. c. XLII. de virgine, nomine de Clara monte Falcone, quæ in culina ministrabat. In ejus enim mortuo corde tres oblongæ glandes seu carneæ pilulæ inventæ sunt, magnitudinis olivarum, quæ et singulæ divisim, et omnes simul ejusdem erant ponderis: quas ibidem extra urbem in quodam Augustinianorum monasterio adhuc asservari, et sibi ostensas esse scribit Franc. Costerus, in concione hujus festi. Quo miraculo quid potuit accommodatius inveniri ad tanti myste-

rii veritatem ostendendam? Ibi enim eadem in singulis Personis natura divina cum omnibus perfectionibus: nec minus est in una, quam in duabus, sed eadem omnino, juxta id Athan. *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, etc.*

Ad ejusdem mysterii confirmationem cum in Nicæno Concilio contra Arianos disputaretur, S. Nicolaus, qui ibidem inter alios episcopos aderat, cum pervicaciam et proterviam Arianæ Trinitatis mysterium negantis adverteret, sic eum coram omnibus allocutus est: «Quare tibi videtur in creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem unum, invenies in illo tria distincta, ignem, aquam, et terram.» Quibus prolatis verbis, protinus a latere sursum ascendere ignis, fluere deorsum aqua, et terra inter digitos comminui visa est, cunctis ad tantum rei miraculum obstupescens. Refert Joan. Carthag. in hom. de myst. Christi, l. 1. hom. IX.

Maneat igitur certa et inconcussa Trinitatis fides. Non audiamus eos, qui contra hanc latrare addent. Sane patres Concilii Nicæni, lectis Arianæ blasphemias, (contra Personam Filii) aures obstruxerunt, teste Athanasio, orat. 1. in Arian. Ergo et nos, auditores, obstruamus hic aures hæreticis, ut in cælo aperiamus oculos ad intuentem faciem ad faciem SS. Trinitatem.

CONCIO II.

PROFESSIO SANCTISSIMA TRINITATIS CHRISTIANORUM
COMMENDATUR.

I. Est tessera et symbolum Christianorum. — II. Est torques aurea mundi et cujuslibet. — III. Est regula nostrarum actionum. — IV. Est clypeus contra dæmonem. — V. Est funiculus charitatis. — VI. Est cithara laudis divinæ.

THEMA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.
Matth. XXVIII.

Reconditissimum mysterium reseravit nobis Dominus in hodierno evangelio Sanctissimæ Trinitatis; quod in veteri lege Judæis non nisi in enigmate et obstruse proposuerat, tum quia nondum erat causa propalandi, Filio et Spiritu sancto nondum in orbem misso; tum quia causa erat occultandi, ne Judæi scilicet ad idololatriam proni, plures Deos colerent. Nobis ergo Christianis mysterium hoc reseratum, et ita reseratum est, ut pueri et infantes id norint et loquantur. Olim Jeremias de hoc mysterio dicebat (ut vult Blasius Viegas, in Apoc. IX. sec. V.) admirans et balbutiens quasi: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum, Je-*

rem. 1. At nunc in hujus mysterii enuntiatione nec pueri balbutiunt, sed expressis verbis dicunt: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, norunt Patrem, norunt Filium, norunt Spiritum sanctum.* Nec quidquam est usitatus omnibus Christianis, quam hoc ipsum symbolum, quod ut majore fructu usurpetur, videbimus quæ ad ejus commendationem faciunt.

I. Est tessera nostra militaris contra gentiles, Judæos et hæreticos. In nomine enim SS. Trinitatis baptizati sumus et Christiani facti, in eodem confirmati militiæ Christi adscripti, eodem nos consignare a puero edocti sumus: ut per hoc discernemur a gentilibus et Turcis, qui Trinitatem vel nesciunt vel aversantur, quemadmodum Turcæ, quorum illud solemne est in Alcorano: *Deus unus est Deus, participem non habet, nec Filium.* Cujus propositionis rationem efferunt insulsam: quia Deus uxore caret, et quia cælum esset obnoxium dissidiis, insurgente in patrem filio, scilicet ut in Saturnum Jove. Stulti! Quasi ad generandum, feminæ concursu indigeret Omnipotens, et quasi non sit divina mens ab omni perturbatione libera, et unitas ejusdem voluntatis communis tribus Personis non excludat omne dissidium. Deinde, a Judæis qui et ipsi, ut Christum Filium Denegent, Trinitatem explodunt, tametsi in eorum lege variis modis, si non expressam, saltem indicatam. Sane veteres rabbini illud Isaia VI. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, sic exponebant, teste Galatino, l. II. cap. 1. Sanctus hic est Pater, Sanctus hic est Filius, Sanctus hic est Spiritus sanctus.* Denique, ab hæreticis pene omnibus, qui Trinitatem impugnarunt, partim aperto Marte, ut Ariani, Montanistæ, Sabelliani, Donatistæ, Manichæi, Priscillianistæ, Thricestæ, Michael Severus, etc. partim clancularie, ut Lutherus et Calvinus cum multis Anabaptistis. Lutherus Trinitatis nomen et invocationem e suis litanis sustulit, anno 1543. et in lib. contra Latromum expinxit vocem quæ SS. patres semper et appositissime exprimebant contra Arianos Filii consubstantialitatem. Sustulit idem ex ep. 1. Joannis, c. V. sententiam hanc Trinitati imprimis patrocinantem: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Calvinus optat, ut Trinitatis Personæ, hypostasis et alia ejusmodi vocabula, sine quibus nec intelligi, nec explicari potest, alte defossa lateant, nec unquam audiantur: *Utinam, inquit, sepulta essent, l. 1. inst. c. XIII. § V.* Horum sectatores refugiunt et erubescunt hanc fidei nostræ tesseram fronti suæ inscribere. Contra hos igitur errores armatura nos Ecclesia, instituit filios suos quotidie et ad omnem pene actionem con-

signare se in nomine Sanctissimæ Trinitatis; ut hoc mysterium a puero firmiter apprehendamus. Ut enim aquila pullos suos evehit ad solem, et observat eos qua ratione eum intueantur, fixis an nutantibus oculis, et illos quidem educat, istos vero abjicit quasi degeneres; ita nos a puero imbuat Ecclesia in fide et cognitione altissimæ hujus mysterii, quod fidei christianæ fundamentum est; et qui in hujus fide deficit, eum velut hæreticum abjicit. Certe etiam miles qui compellatus tesseram suam reddere nequit, pro hoste habetur et occiditur. Nos ergo milites Christi, de fide nostra interrogati tesseram hanc redeamus: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Dum dicimus: *In nomine,* confitemur unum Deum; dum tres Personas nominamus, Trinitatem in unitate profitemur; dum Patris nomen fronti damus, confitemur eum principium et ingenitum; dum Filii nomen ori, confitemur eum Patris Verbum; dum Spiritus sancti nomen cordi, confitemur eum esse amorem Patris et Filii.

II. Est torques aurea, quam Deus primo, iniecit quodammodo collo totius mundi, cum Pater ei dedit Filium et uterque Spiritum sanctum. Deinde, collo cujusque nostrum, cum abluitur nos baptismo, simulque nobiles et familiares suos fecit, dum insignia et similitudinem sui supernaturalem nobis impressit, gratiam scilicet per quam in nobis veluti in templo suo inhabitare cepit. Magna et mira hæc dignatio! Creaverat nos prius ad imaginem suam quando intellecta, memoria, et voluntate instruxit. Verum ubi ea per peccatum destructa fuit substituit ei per Christum merita longe elegantiora, eamque supernaturalem. Cum ergo in nomine Trinitatis nos signamus, primo, palam facimus, quantopere nos amat Deus, qui secundum omnes personalitates suas se totum nobis tradidit Pater, dum nobis dedit Filium: Filius, dum se in pretium redemptionis et paradæ gratiæ: Spiritus sanctus dum se in distributionem gratiarum, quas promeruit nobis Christus. Hoc est quod ait apostolus, II. Cor. XIII. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei* (Patris scilicet, cui nomen Dei appropriatur; quia est primum in deitate principium et origo cæterarum Personarum), *et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Deinde, rememoramus particulare cujusque beneficium, quo in baptismo regenerati et per poenitentiam reconciliati sumus Deo; ubi tota SS. Trinitas ad nos, imo in nos descendit, et impressit nobis similitudinem sui, quanta homini obtingeret potest, exactissimam gratiam; per quam sanctificamur et exornamur, ut simus Dei templa, Dei amici, imo filii adoptivi. Quare sicut vir nobilis, cum in collo suo torquem auream videt,

meminit, vel certe meminisse debet, se quanto cæteros præcellit genere et honore, tanto etiam antecellere debere moribus, factis et virtutibus: ita Christianus, cum in nomine Trinitatis se consignat, meminerit se Dei templum nobilem, amicum, filium esse. « Conversemur quasi Dei templa, inquit S. Cyprianus, tract. de orat. Dom. ut Deum in nobis constet habitare: ut qui cælestes et spirituales esse cœpimus, non nisi cælestia et spiritualia cogitemus et agamus: » et in I. de spectaculis: « Nunquam, inquit, humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei. Deicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. » Multa mirantur, suspiciunt et extollunt rustici ac plebei homines, quæ nobiles contemnunt, rident et pro nihilo habent, quia hi animum illis excelso gerunt. Ita quæ mundus magni aestimat, contemnat Christianus, quia animum et dignitatem iis longe generosiora habet. Deinde, nobilis vir cum inspicit torquem suam, memor est progenitorum suorum, quorum virtute nobilitatem et torquem illam obtinet; ita par est, ut Christianus commemorato SS. Trinitatis nomine Deum redamet, cujus similitudinem in se gerit, et a quo insignia filii Dei accepit.

III. Est scopus et regula nostrarum actionum quas in nomine Sanctissimæ Trinitatis inchoare decet, uti ejus adiutorium et directionem, qua quid agendum sit, perspiciamus, et ut possimus ac velimus quod agendum est perficere, impetremus. Easdem in eodem nomine ad gloriam et honorem ejus terminare oportet. Quemadmodum ergo Filius a Patre procedit, et in eundem se reflectit per amorem, qui est Spiritus sanctus (quod vel Mercurius ille Trismegistus agnovit, cujus est decantata illa sententia: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem*), ita actiones nostras a SS. Trinitatis invocatione inchoari, et in ejusdem gloriam reflecti seu terminari debent. Ipsa enim est pelagus omnium bonorum, a quo ut omnia flumina exeunt, ita in id redeunt. Hinc Ecclesia sacrificium missæ et officium diurnum incipit a Trinitatis invocatione, et in eadem terminat.

Deinde, in actionibus nostris indigemus, primo, viribus et potentia, ut possimus: secundo, intellectu, ut sciamus agere, quod agendum est: tertio, voluntatis assensu, ut velimus. Jure igitur initio operis invocamus Patrem, cui tribuitur potentia, et Filium, cui sapientia, et Spiritum sanctum, cui bonitas, et velle.

IV. Est clypeus contra dæmonem et difficilia quæque superanda atque exicipienda. Ligari Luciferum symbolo SS. Trinitatis testatus est aliquando unus ministrorum ejus apud Cæsarium, I. V. c. XIII. « Retulit, ait, mihi Gerardus

Pleisensis, mulierem obsessam, multis bene notam, Sygeberg venisse gratia curationis: quæ cum in oratorio S. Michaelis archangeli de diversis interrogaretur, et indiceret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respondit per os ejus diabolus: Stulti quibus catenis putatis ligatum magistrum meum in inferno? Ferreis? Nequaquam. Tria verba posita sunt in silentio missæ, quibus ligatus est. Requirentibus quibusdam ex fratribus: Quæ sunt illa verba? Dicere noluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: Afferte mihi librum; et ego vobis ostendam illa. Allatus est ei liber missalis et clausus porrectus; quem illa aperiens, primo ictu canonem invenit, et digitum ponens super illum locum: Per ipsum et cum ipso et in ipso, in quibus memoria fit Trinitatis, ait: Ecce ista sunt tria illa verba, quibus ligatus est magister meus. » S. Athanasius scribit de S. Antonio, in ejus vita: « Cum vitale signum (crucis) in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus, una cum expulsis dæmonibus vana præsentium philosophorum confutata est sapientia. »

Ad martyrium fortiter subeundum ac superandum animavit filium S. Dionysia in persecutione Wandalica, apud Victorem Uticensem, I. III. cum eum formidolosum, inter crudelia videret verbera constitutum; dicebat enim ei: *Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in Ecclesia catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis, etc.* Dicat sibi idem quis Christianus, quoties in tentatione est, et urgetur a dæmone, carne, mundo, ut Christum ejusque legem deserat, dicat inquam: *Memento te baptizatum in nomine Trinitatis, ibique Christo nomen dedisse: testis ibi Pater, testis Filius, testis Spiritus sanctus, qui ut in baptismo Christi, ita et in tuo adsisterunt.*

V. Est funiculus charitatis et vinculum pacis inter Christianos. In Deo enim cum sint tres Personæ, una tamen natura et voluntas est, unus omnium sensus et consensus, operaque ad extra indivisa, ut quod una Persona operatur, operentur et reliquæ. Cum ergo hoc mysterium profitemur, simul commonemur ad eandem pacem inter nos mutuo servandam. Erat sane ea inter primos Christianos tempore apostolorum, de quibus Act. IV. dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*, id est, tanta concordia et pax, ac si unum cor et unam haberent animam. Rursum tempore Tertulliani, qui vixit sub annum Christi 200. Is enim in apolog. XXXIX. scribit tantam Christianorum inter se fuisse charitatem tempore suo, ut de illis communis esset gentilium vox: *Vide ut se diligant; ut alter pro altero mori sint parati?* Rursum tempore S. Gregorii Naz. qui vixit sub annum

Domini 370. scribit is, orat. II. de pace: *Non minus quam ipsa secum divinitas (nisi hoc nimis magnifice dictum videatur) inter nos consentimus concordisque sumus, labiumque unum et vox una existimus, etc.* Quare sicut Pater et Filius in Trinitate uniantur per Spiritum sanctum qui est vinculum et amor utriusque: ita et Christiani per Spiritum sanctum, imo per totam SS. Trinitatem in nobis habitantem uniamur et colligemur vinculo pacis. Ecclesiastes, cap. IV. ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Sit ergo nobis mysterium Trinitatis, in quo omnes baptizati sumus, triplex hujusmodi funiculus, quem nemo rumpere audeat. Quid enim in mundo quærimus, aut qua de re contendimus? Deus Pater nostra hæreditas est, Filius ejusdem pretio, Spiritus sanctus pignus.

VI. Est cithara laudis divinæ. Hæc enim quasi cithara laudatam a Seraphinis Trinitatem audit et scripsit Isaias, c. VI. cum ait: *Clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, ubi voce, Sanctus, ter repetita prædicant Trinitatem, ut exponunt sancti patres, Synodus V. generalis, totaque Ecclesia. Idem canticum accinuisse Deo quatuor animalia scribit S. Joannes, Apoc. IV. idem hymnus miraculo et ipsius Dei calculo approbatus fuit tempore Theodosii junioris imp. anno Christi 446. cum grassante per semestre terræ motu per orbem, maxime vero Constantinopoli, puer quidam inter publicas litanias in aërem raptus, audivit ab angelis decantari hymnum illum: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis, miserere nobis.* Quis puer eundem ab angelis acceptum Proclo archiepiscopo enarravit, ut eum canendo implorarent omnes Dei opem et misericordiam. Ita fecerunt, et mox terræ motus cessavit, uti refert Damascenus, tract. de trisagio, et Niceph. lib. XIV. cap. XLVI. Quem eundem hymnum Leo VI. imp. in commentario, quo res bellicas pertractavit, militibus commendavit, monens ut exercitus quotidie eum dicat mane et vespere, apud Baron. anno 914. Multo igitur magis cæteri Christiani carmen hoc trisagium quotidie Deo dicent vel aliud ei æquivalens. Sane etiam Judæos scribit Galatinus, I. II. c. 1. supra cit. ad sua usque tempora, ex veterum rabbinorum instituto minimum bis in die, scilicet oriente et occidente sole, recitasse hymnum illum seraphicum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Quem facit Ecclesia, in officio divino, dum singulos psalmos claudit eo versu: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, et dum in omnibus festis et omnibus pene dominicis diebus decantat versum illum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth.* Omnes enim dominicæ ab hoc festo usque ad